

## VIII.

Breviter hîc repetimus, quod *Conscientia* Nomen, si Scripturam consulimus, laxioris sit ambitus, quam quidam opinantur, & tum *habituale*, tum *actuale* quid designet, quod patet *tum* ex eo, quia passim adhibetur ad illam delineandam Vocabulum  $\kappa\lambda$ , quod satis amplam habet significationem; *tum* quia sicut Nomen *Scientia* duo dicit, *Habitum* & *Actum*: ita quoque cognata Vox *Conscientia*; *tum* quia *Conscientia* complectitur  $\sigma\upsilon\nu\tau\eta\gamma\eta\sigma\iota\nu$ , quæ *Habitus operum Legis sive preceptorum Series, quæ inscripta cordibus, & quasi clavis trabalibus infixæ* Rom. 2. v. 15. Nec videtur contemnenda phrasîs Scripturæ pro hae sententia, quod sc. *Conscientia* dicatur *pura* 2. Timoth. 1. v. 5. *inquinata* Tit. 1. v. 15. & sanguini Christi tribuatur *emundare conscientiam nostram*, Ebræor. 9. v. 14. quæ primò competere videntur alicui intra viscera Mentis hærenti *Habitui*, quorsum referimus quoque illa *Bernhardi de interiore Domino* cap. 1. scribentis: *Conscientia perpetua est, quæ nunquam finitur; sicut nec anima, quæ cum sit immortalis, sicut non potest non esse anima, sic nunquam potest esse absque conscientia.*

## IX.

Præter *habituale* verò *actuale* quid etiam dicere in proclivi est ostendere. Nam primò notat *Cognitionem, Applicationem, & quandam Crisin sive iudicium*, quæ omnia actus quosdã Mentis repræsentant, quod etiã animadvertens *B. Balduinus* sic definire voluit: *secundaria significatione Conscientia usurpatur de toto illo Syllogismo practico, sic testimonium dare dicitur Conscientia* Rom. 2. v. 14. *quando unum ex altero colligit, & minoris applicationem ad maiorem in Conclusionem facit, quo in loco istæ etiam ratiocinationes se invicem damnantes & excusantes Conscientia dicuntur. Interdum Conscientia usurpatur de Minore tantum syllogismi practici propositione, h. e. de notitia suorum benè vel malè gestorum, quæ sub generali lege juris, vel naturalis vel divini, subsumuntur, ut cum Paulus scribit 1. Cor. 4, 4. nihil mihi conscius sum, h. e. nihil contra legem aut rectam rationem feci, nullum aliquod scelus à me patratum novi. Denique Conclusio syllogismi practici etiam Conscientia appellatur, ut cum Paulus provocat ad suam conscientiam Act. 23. 1. aliosque ad conservationem bonæ conscientia hortatur 1. Tim. 1. 19. Est enim bona conscientia, cum quis seipsum sceleris arguere non potest, vel, ut Joannes loquitur, cum cor nostrum nos non condemnat, 1. Johann. 3. v. 21. de quo suo loco*

A 3

plura.